





12500

N<sup>o</sup> 44

L. D. B. V.

9

17172

DISSERTATIO INAUGURALIS  
Continens  
EXPOSITIONEM L. IV. C.  
FIN. REG.

ET  
POSITIONES EX J. CAN.  
DE PROCURATIONIBUS

Quam

*Ita volente*

Magnifico Jctorum Ordine

in Univerfitate Argentoratensi

PRO CONSEQUENDIS SUMMIS IN UTRO-  
QUE JURE HONORIBUS & PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS

*Solenniori eruditorum difquifitioni*

*fiſtet*

*Ad Diem 20. Septemb. ANNO M. DCC XVII.*


FRANCISCUS HENRICUS RESH,  
Türckhemio-Alſatus.

ARGENTORATI  
Literis JOHANNIS WELPERI.



III

1030



mi  
del  
ad  
apr

ma  
qua  
por  
me





*Resolutio L. IV. C. fin.*  
*Regund.*



**S**icuti LL. Romanæ in *Pramitto*

universum æquitatis, justitiæ, ac prudentiæ laude celebrantur; ita suum impi-

mis hoc enomium tuentur, quatenus delictis pœna imposuere, graviores, quoad rixas excitandas illa deprehenderunt aptiora.

Exemplum hujus rei illustre extat in materia finium & termini moti; circa quam varia equidem pro diversitate temporum loco pœnæ introduxerunt, ac remedia suppeditarunt, quibus ita læsis succurrere

curreretur. Novissime autem eis accessit lex Constantini, quæ etiam *attentata* pendente lite circa finium turbationem commissa peculiari ratione vindicari voluit, cujus resolutio cum ab amplissima facultate juridica mihi injuncta sit, ut ordine in ea procedam, primo considerabo externa, secundo interna.

*Scindo.*

Externa absolvuntur inscriptione & subscriptione; inscriptio notat constitutionis hujus authorem, qui in lege antecedente refertur Constantinus Imper. qui vixit sæculo post Christum natum IV. patrem sortitus Constantinum Chlorum Imperatorem, Matrem, Helenam Bithiniam, de qua in *Nov. 28. Cap. 1.* refertur, ipsam crucem Salvatoris invenisse, fuit Imperator optimus, rerum gestarum gloria imprimis clarus; unde & Cognomen Magni obtinuit; evehctus fuit ad Imperium A. Ch. 306. & ultra 30. annos eidem præfuit.

Rescripsit autem legem nostram ad præfectum urbi Bassum, cujus officium erat in Imperio Romano, de criminibus in



in urbe & intra centesimum ab urbe lapidem cognoscere: *lege 1. pr. §. 4. fin. ff. de officio præfecti urbi, & de nocentibus suplicum sumere, l. 1. §. 3. 4. 7. ff. d. t. l. 7. C. ad legem Faviam de plagiaris* Subscriptio notat tempus, quo emissæ est hæc constitutio, scilicet decimo tertio 2. Julii, id est, die 19. Junii A. post Christum natum 330. Gallicano & Symmacho Consulibus.

Ex quo loco autem rescripserit, non reperitur. Habentur porro in subscriptione hæc verba: *lecta apud acta*; quæ clausula illis solebat rescriptis Imperatoriis addi, quæ vel ad præfectos urbi, vel ad Episcopos dirigebantur, quoniam in publico confessu, Senatu dico, vel Consistorio prælegebatur; vide *l. 2. C. de Episcopis & clericis*.

Tenor hujus constitutionis in com- *Summo.*  
pendio exhiberi potest his verbis: qui post litem contestatam in judicio finium regundorum occupat aliquid de alieno, illud reddit, & tantundem de suo.

Casus ita proponi poterit: Titius *Casumque*  
contra Mævium agit actione finium re- *figuro.*  
gundorum; intercedit litis contestatio;

Titius, antequam proferretur sententia, de facto occupat spatium de terra vicini sui Mævii, & ponit fines propria auctoritate, Q. quid juris;

Respondet Imp. *si constiterit*, nimirum judici per probationes à Mævio legitime factas, Titium, sive eum, *qui finalem detulerit questionem*, id est, qui de fin. alteri coram iudice controversiam moverit, ita scilicet, ut lis desuper sit contestata, adeoque lis verè possit dici pendere, *priusquam aliquid sententia determinetur*, adeoque in contemptum iudicis, qui jurisdictionem suam fundatam habebat, per violentiam quandam, per viam attentati, *rem sibi alienam usurpare voluisse*, id est, partem terræ, quam possidebat Mævius vicinus, occupasse voluntario atque propria auctoritate coli araque fecisse; *non solum id, quod male petebat*, id est, eam ipsam partem terræ, quam sibi adjudicari petit, & quam non expectato litis eventu de facto sibi appropriare voluit, sed, quæ postea per sententiam fuit adjudicata Mævio, *omittat*; sed (quo magis unusquisque





que contentus suo rem non expetat juris alieni) qui irreptor agrorum fuit, live, qui, uti dictum, de facto partem terræ ad Mævium vicinum spectantis occupavit, *in lite superatus*, ita, ut pars terræ, quam prætendebat, ipsi non fuerit adjudicata, adeoque condemnatus ipse ad restituendum, occupaverat; *tantum agri modum*, id est, tantam terræ Mensuram, *quantum adimere tentavit*, id est, quantum temerarie de facto propria autoritate pendente lite ademittat, *amittat*, condemnandus in conditione, quam Mævius ex hac lege contra ipsum instituit.

Quod varias lectiones attinet; in hac lege observo, in Codice Theodosiano pro verbo, *detulerit legi retulerit*, & pro *adimere*, poni *diripere*; in *Basiliensis* autem *libro ss. t. 9.* ita se habent verba ex versione *Fabrotti*: si quis illata finali quæstione partem alienam vi usurpare sibi voluerit, non eam solum restituat, verum etiam alterum tantum agri præstet.

Rationem, cur ita disposuerit Imp. *DoCausas.*  
ipse expressam adjecit; scilicet, *quo magis unus*

*unusquisque, contentus suo, rem non expe-*  
*tat juris alieni ; fundatur hoc in primo*  
*juris principio : suum cuique tribuere, quo*  
*jubemur ab invasione & direptione re-*  
*rum alienarum abstinere ; quod si rem*  
*ab alio possessam ad nos pertinere arbi-*  
*tremur ; nobis ipsis jus dicere non debe-*  
*mus ; sed ad magistratum aut judicem*  
*rem deferre, cujus officium est, de jure*  
*inter cives cognoscere. Ubi vero causa*  
*ad iudicium jam delata, lis de ea suscepta*  
*est, ac pendet ; ibi plane temerarium est*  
*atque in contemptum iudicis haud tole-*  
*rabilem vergit, si de facto pars una vel*  
*via facti, ut loquimur, propria ac privata*  
*authoritate rem controversam sibi appro-*  
*priare, ac possessionem ejus apprehendere*  
*praesumat. Et, sicuti hoc etiam in justis*  
*causis punitur jure in primis Romano per*  
*l. 13. ff. quod metus causa l. 7. Cod. unde vi*  
*l. unicam C. ne quis in sua causa ; ita peius*  
*adhuc & damnabilius merito habetur ;*  
*ubi eventus docet, justitiam causae pro-*  
*tali attentante haud militasse. Coeterum*  
*nihil iniqui continet poena per hanc le-*  
*gem*



gem dictata, qua tantum agri alteri de suo relinquere tenetur, quantum ipse alteri adimere voluit; nam & hoc jus talionis in recta ratione fundatum exigit, & quæ inde legibus Romanis inserta conspicitur, Regula: *quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.* Neque est, ut objiciatur, videri potuisse sufficere, si damnum, quod datum fuit, refarciatur, id est, si pars agri, quam alter occupavit, restituatur; ita enim quilibet ad talia perpetranda incitaretur, si nullum aliud periculum subesset, quam obligatio restituendi id, quod alteri ademit. Pœna factio huic & attentatò illegitimo erat imponenda, quæ non poterat alia excogitari justior, quam, si id malum, quod alteri infligere voluit, ipse pati cogere.

Cæterum, ut pœnæ huic reapse locus detur, primo necesse est, ut lis supponatur inter vicinos orta circa fines ibi: *finalis questio*; quod si enim lite nondum mota turbatio contigerit, nostræ legis dispositio haud valebit. Debet autem lis hæc esse *pendens*; id quod in aliis quidem juris capitibus censetur fieri per solam citationem; hic autem videtur litis contestationem requiri; *Glossa ad legem nostram & legem 7. Cod. unde vi verbis: earundem rerum*, quæ in eo potissimum differentiam hujus legis & legis nostræ statuit. Id parum interest, affirmative fiat an negative. Debet porro lis hæc nondum esse finita per sententiam; quod si actor jam superatus per sententiam non conceptam modo sed publicatam invadat fundum possessori adjudicatum, legis nostræ pœnam haud sortietur, locum

cum ibi: *priusquam aliquid sententia determinetur, & ibi: antequam fuerit in lite superatus. Secundo* requiritur factum ipsum, quod lex nostra designat *usurpationis, irreptionis & ademptionis* vocabulis, quæ occupationem innuunt rei ligitiosæ, ejusque usus & possessionis apprehensionem, sive clam sive vi aliqua facta fuerit; huc spectat vox *irreptionis* ab irrepere dicta, quæ clandestinam & furtivam quasi possessionis apprehensionem innuit; in quo differt à remedio *l. 7. C. unde vi*, quod semper violentiam requirit.

Cæterum, si quis alterum tantum in usu rei sua impediatur, ipsam autem rem non invadat, in pœnam *L. nostra* non videtur incidisse: sed tum demum, uti dictum, ubi fundum occupavit e. g. agros aratro subegerit, arbores plantaverit, fructus collegerit, & limites transposuerit, & amoverit. Debent porro hæc talia facta fuisse non ex errore facti aut culpa, sed dolo à sciente & volente. Illud non requiritur, ut occupatio duret ad eventum litis; sed sufficit, si occupaverit; hoc enim ipso jam perpetravit attentatum, quo faciunt verba: *usurpare voluisse.*

*Tertio* requiritur injusta ejus petitio, & quod superatus sit in lite principali, scilicet, in iudicio finium regundorum; quodque adeo male, id est, sine jure rem petierit; unde huic legi locus non erit, ubi dominus rei *rem suam* lite pendente occupavit, ibi; *rem sibi alienam occupare item: rem non expetat alieni juris.*

*Connote.*

Notabilia ex textu sequentia potissimum erue-  
re datur; primo, quod pœnæ ejus locus sit, uti di-  
ctum;

ctum, siue clam siue vi res occupata sit; aliena scilicet immobilis, unde differt ab hoc remedio *condictio ex lege 7. C. unde vi*, quo violentus inuasor rerum quarumcunque coercetur, ita, ut, si res ejus propria sit, excidat dominio, si aliena, æstimationem ejus præstare debeat.

*Secundo*, quod vi *h. l.* amittatur pars fundi ab occupante vicini agrum controversum, unde differt à *Remedio l. 13. ff. quod metus causa*, ubi creditor vi metuve extortum à debitore creditum amittit.

Quæ contra hanc legem proponi possunt, ea *Objicio.* in ipso conflictu disputatorio pro viribus diluere conabor.

Id unicum adhuc dispiciendum, an *h. l.* detur usus hodiernus? Plurimi negant; mihi videtur tamdiu in Imperio Romano Germanico & provinciis, ubi jus Rom. receptum, pro hoc ipso præsumi debere, quamdiu nulla lex vel consuetudo contraria demonstrari potest. Neque vero concedi potest, vigorem talium constitutionum hodiernis temporibus haud convenire, quibus non minus frequentes imo frequentiores sunt invasiones ejusmodi temerariæ; unde locus erit *Regulæ*: crescentibus delictis, poenæ non minuendæ, sed augendæ veniunt *l. 28. §. 5. ff. de panis.*

Ex 7. Can.

POSITIONES de PROCURATIONIBUS

I.

Juri & æquitati plane conforme est, ut non tantum necessarii sumptus exhibeantur Episcopo Ecclesias visitanti, sed & præmium simul etiam laboris tribuatur.

II.

Hinc recte statutum in *c. 24. X. de Cens.* etiam ab iis Ecclesiis *procuraciones* solvendas esse, quæ intra civitatem Episcopi visitantis inveniuntur.

III.

Monasteria olim non solum quoad Legem Diocesanam, verum & jurisdictionalem sub Episcopis erant, vid. *cap. 12. c. 19. X. de offic. ordin.* unde etiam visitabantur ab Episcopis, & procuracionibus solvendis erant obnoxia, quo spectat *d. c. 24.*

IV.

Postquam vero eximi cœperunt *dd. II.* unde nec visitandi jus competeat Episcopo; tum per consequens nec procuraciones solvere tenebantur.

V.

Præscriptionis titulo Procuratio non potest declinari, *c. 16. X. de præscrips.*

VI.

Prudenter & ad moderandam procuracionis quantiratem *c. 6. X. de Cens.* prohibitum est, ne Episcopi visitaturi canes vel aves venatorias secum ducant.

Sträßberg, Diss., 1716-13

ULB Halle

3

005 360 048









12520

N<sup>o</sup> 44

L. D. B. V.

17172

DISSERTATIO INAUGURALIS  
Continens  
EXPOSITIONEM L. IV. C.  
FIN. REG.

ET  
POSITIONES EX J. CAN.  
DE PROCURATIONIBUS

Quam

*Ita volente*

Magnifico Jctorum Ordine

in Universitate Argentoratensi

PRO CONSEQUENDIS SUMMIS IN UTRO-  
QUE JURE HONORIBUS & PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS

*Solenniori eruditorum disquisitioni*

subi-  
fistet

*Ad Diem 20. Septemb. ANNO M. DCC XVII.*

FRANCISCUS HENRICUS RESH,  
Türckhemio-Alfatus.

ARGENTORATI

Literis JOHANNIS WELPERI.

